

Hiis finitis papa dixit: Audivimus tuam parabolam, audivimus parabole explanacionem et cernimus, quod ad hoc tendit tuum studium, ut sponse diu conservate nullum ante nos fiat divorcium. Abbas ait: Si male coniunctus sum, non recuso divorcium; si autem bene, quis nos separabit?¹ Magis incumbit vobis prava rescindere quam in Christo fundata dissipare. Papa dixit: Primo die adventus tui promisisti te ostensurum de abbate sancti Medardi, quod iniuste adversaretur tibi. Unde age nobiscum et dic, quo nomine sancti sit sacratum oratorium vestrum. Abbas dixit: Sub honore dominorum vestrorum, ymmo nostrorum, beatorum videlicet Petri et Pauli apostolorum, sacratum fuit oratorium nostrum. Fundus terre et ecclesia inibi fundata de iure Tornacensis ecclesie et de feodo comitis Roberti² extitit, et ad ecclesiam sancti Medardi nullatenus umquam pertinuit. Ecce veni, ecce laboravi, ob hoc peto, ut vestra serenitas audiat me et compaciatur mihi. Sanctissimi Romanorum pontifices, qui martirio vitam finierunt, in decretis suis statuerunt, ut nemo absens condempnetur.³ Et ubi fuit sancte Romane ecclesie provisio sincera, quando contra patrum decreta absentem me condempnastis? Papa dixit: Non te condempnavimus, sed libenter et honoranter te accipimus et audimus. Abbas dixit: Quando me non vocato vel audito ecclesia mihi canonice commissa spoliastis et alteri sine examinatione contulistis, tamquam dampnatum me tenuistis.

Dominus papa dixit: Si quid ignoranter circa te actenus erratum est, hoc totum reicimus, et tu reice; sed et parce nobis, et de cetero, prout compertum habuerimus, veritatis iusticiam grantanter tibi faciemus. Abbas ait: Grates Deo et vobis pro beneficiis factis et faciendis. Verumtamen istud nolo vos ignorare, quod veniens de Flandria Romam quecumque gravia vel impassibilia pertuli, excellentia vestre michi maiestatis incussit. In tota certe gente Francorum non erat potestas aut dominatio, que me cogere posset Romam venire; sed magisterium apostolatus vestri, cui omnis homo subici debet, me ut huc venirem pertraxit. Papa stupens ac pene indignans erecta dextra signavit se dicens: Frater, pro Deo, quid dicis? Cancellarius in eodem scabello residens ait: Domne abbas, videte, quomodo caute loquamini. Abbas dixit: Domne pater, ex quo littere vestre, non vestre quia false, sed

¹) Matth. 19, 6; Marc. 10, 9. ²) Graf Robert I. Friso von Flandern 1072—1092. ³) c. 13 C. III. qu. 9 (Papst Zephyrinus, 202—218).